Quelle: https://manuscripta.at/?ID=1141
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

num uulnera sua mea. sic xpistus membrorum
uerbis utitur. non incongrue. non se
diuidens a uerbis nostris. Qui enim
dignatus est pro nobis homo fieri in
forma serui uestiri. non dedignatur
nos transfigurare in se. quod facit uti-
que pluribus modis. scilicet dum uel aliquid
dicit uel facit. ad informationem mem-
brorum. ut quando ieiunauit & ora-
uit. & temptatus est. uel quando in
persona membrorum loquitur. ut de mem-
bris in sua persona dicit. ut Saule Sau-
le quid me persequeris. Vel quando a-
liquid in se esse ostendit. quod non ha-
bet ex natura sue conditionis. sed mi-
sericorditer assumpsit. de corruptione
nostre infirmitatis. ut cum dicit se
tristari. uel pauere & huiusmodi.
Qui ergo sic nos transfigurat in se.
non dedignatur loqui uerbis nostris.
ut nos loquamur suis. Hec est di-
uina commutacio. & diuina sunt hec
commercia. celebrata in hoc mundo.
a negotiatore celesti. Venit enim
celestis negotiator accipere contu-
melias. dare honores. haurire do-
lorem. dare salutem. subire mor-
tem. dare uitam. Moriturus ergo
ex nostro. i. ex carne nostra quam habe-
bat. non in se sed in nobis. pauebat.
Quod enim paues. tuum est. quod
speras donum dei est. Paues ut te
agnoscas. speras ut diuinam mi-
sericordiam glorifices. que te in pauore
consolatur. Loquitur ergo hic xpistus
in propria & in membris. & si enim
in hoc psalmo quedam dicantur
que capiti non ualeant congruere.
xpistus tamen loquitur. quia in membris
suis xpistus est. Quasi enim una per-
sona est. sponsus & sponsa. id est
xpistus & ecclesia. Unde Ysaias hanc
unitatem commendans ait. sicut
sponso alligauit michi mitram.

& sicut sponsam ornauit me or-
namentis. Se dicit sponsum. & se
sponsam. propter excellentissimam
unitatem capitis & corporis. quam
etiam notauit dominus. cum de coniu-
gio paradisi loqueretur. Propter hoc
inquit relinquet homo patrem
& matrem. & adherebit ~~uxori~~
uxori sue. & erunt duo in carne
una. quod exponens apostolus. dicit. hoc
magnum sacramentum est in xpisto.
& in ecclesia. Quia ergo sponsus & spon-
sa sunt duo in carne una. merito. &
duo sunt in uoce una. Incipit ergo
ex persona capitis dicentis. ad patrem
sic. In te domine pater speraui. secundum
quod homo. & non confundar in
eternum. i. numquam confundar.
dum in uita hominum simili ceteris.
insultatur. In iusticia tua libera me.
de morte. & Inclina ad me. a.
tuam. i. proxima michi humili. &
accelera. in faciendis. i. in hiis que
facienda sunt. scilicet. in soluendis ani-
mabus de inferno. & huiusmodi. &
ut eruas me a morte. tercia die. ne
differas usque in communem resur-
rectionem. uel in finem mundi
segregare me a peccatoribus. quod
ut fit. Esto michi in deum protec-
.i. esto michi o deus tantus protector.
quantum decet esse deum. & in do-
mum refugii ut saluum me facias.
.i. esto michi quasi domus. ad quam
refugiens saluus fiam. Ideo te.
non alium quero. Quoniam fortitudo
mea es. ad tolerandos persecutores.
& tu es refugium meum. ad re-
linquendos eos. in fine malorum.
qui finis est per mortem. & propter
nomen tuum. i. ut per me inno-
tescas omnibus gentibus deduces
me. uel dux eris michi. Alia lit-
tera. i. per omnia sequar uoluntatem